

1250 magno impetu hostem adoriuntur. Oppidani & ipsi indigne ferentes, urbem alioquin nobilissimam, præsidio & ope valde munitam, sua ignavia tam cito expugnatum iri, obstinato animo hostibus resistunt. Magnum utrinque oritur certamen: pugnant utrique, hi pro patria, illi pro gloria: hos patriæ charitas, illos spes victoriæ accendit. Multus cruor utrinque fusus. Demum victa oppidanorum pertinacia, & hac quoque parte civitas expugnata est. Tum desperatis rebus, Ansedinus saluti suæ consulens, cum necessariorum manu aversa parte urbis aufugit. Ad ejus profectionem subita civium deditio secuta est. Arx, quæ in parte urbis hodie quoque visitur, quarto die post per deditiorem est recepta. Ecelinus interea quum ignarus esset eorum quæ Patavii facta erant, cerneretque se circa Mantuam sedendo nihil proficere, soluta obsidione, Veronam ut copias reduceret, ad Mintii fluvii ripam confederat, ubi triduo stativa habere in animo habuisse dicitur. Verum major clades, quam per id tempus expectaretur, consilium subito mutare coegit. Nuncio de Patavii amissione accepto, ipse vero, etsi ea clade non mediocriter est commotus, dissimulato præsentis dolore, rem tam diu occultam esse voluit, quoad Veronam venisset: quo post acceptum nuncium citato agmine se contulit. Hic, urbe cum omnibus copiis inita, infanda dicitur crudelitate usus. Duodecim Patavinorum millia, quos in castris habebat, non mercenarios milites aut gregarios, sed ingenuos omnes, & in his eminentioris fortunæ non paucos, diversis cruciatibus ad unum necavit: quod a nullo unquam, præterquam a Cornelio Sylla, factum reperio, ut tantam vim hominum in suam potestatem redactam, uno tempore ferro conficiendam curarit. Ille duodecim Prænestinorum millia uno loco unoque temporis momento, quia Marianis partibus favissent, obtruncasse dicitur, nec cuiquam in tanto numero, præterquam veteri hospiti, vitam concessisse: quam ille, cum cerneret omne suæ civitatis robur extinctum iri, pertinaciter recusasse dicitur, fassus, se nullam salutis gratiam ei habiturum, si suorum popularium percussoribus permisceretur. Nec cuiquam mirum videri volo, nec pro mendacio excipi, quod dixi-

1251

*Horrenda
crudelitas
Ecelini.*